



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Li. Magdalena Misericordiam & Iustitiam in gemino Christi pede complexa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Mors ut fræna doloribus reponat,
 Aut vitæ decus ut nouæ regnati;
 Vrat, vrat Amor fibras & artus.
 Me si verterit in breues fauillas,
 Mox siccis cineres Amor gemellæ
 Includet phialæ, meique I E S V
 Alternam sibi clepsydram refinget:
 Quò sic ille mei faces Amoris,
 Scintillas, cineres, piasque flamas
 Alternam numeret redux in horam.
 Sic soles mihi postumos reduces,
 Soles puluero orbe metiendos,
 Si vultu pius annuas sereno.

L I.

MAGDALENA Misericordiam & Iu-
 stitiam in gemino CHRISTI pede
 complexa.

BIS geminâ constringe manu pia Magdala
 CHRISTVM;
 Nam pius & gemino te pede CHRISTVS adit.
 Nec tantu alterutrū, sed vtrumq; tenace catenâ,
 Et dextrâ & lœvâ prouida prende pedem.
 Iustitia hinc vindex, illinc Clementia pacis
 Arbitra, par concors, & soror æqua sedet.
 Quas dispar genius fecat impare Numinis v̄su;
 Hæc iubet, illa vetat abstinuisse manum.
 Quam sequeris? iusta terret te fulmen ab irâ?
 An potius pacis mitis oliua trahit?
 Spemque, metumque, pari-geminus pes tem-
 perat arte;

Gratia

Gratia ne nimium tollat, & ira premat.
 Læuus vti pes it lœui lanx sœua furoris,
 Sic pia lanx pacis pes tibi dexter erit,
 Et lœuam & dextram bis in oscula diuide malam;
 Ac lœuo & dextro necte, renecte pedi.
 Sic iubeo: geminis alternas oscula plantis,
 Alternâque pedes tergis vtrimque comâ.
 O tibi quâm felix dextrâ sors voluitur vrnâ!
 Cui datur, his plantis, spéque metuque frui.
 Nō timor hîc ex spes, nec spes nimis ægra timore
 Claudicat, incertis alterutrimque modis.

L I I.

Pedes CHRISTI MAGDALENAE oblati.

DEXTRO & sinistro Numinis sedet pede
 Hinc ira, & inde pacis obses gratia,
 Quas æquo vtrimque scindit examen gradu:
 Et æquilibri dexteram abstines pede?
 Hinc pondus iræ, pondus inde gratiæ,
 Dextrâ, sinistrâ, prouida appendis manu;
 Deique tractas arbitros rerum pedes.
 Diuinæ, opinor, facta libræ es libripens.

L I I I.

CHRISTVS inter duos ægros, MAGDALENAM & SIMONEM.

Bis geminos inter Medicus sedet inclitus
 ægros,
 Hinc febris acris edit, inde phrenesis agit.
 Febris